

γίσιων, ἀλλ' ὡς ὁ Βρύσων ἐτετραγώνιζε τὸν κύκλον. id est, neque  
 profecto, si sit aliquod pseudographema, circa veram  
 demonstrationem, statim litigiosum erit, qualis est  
 Hippocratis quadratio, quæ per lunulas (siue per  
 segmenta) conficitur: sed tunc erit litigiosum pseudo-  
 graphema, si fiat vt Bryso quadrauit circulum. Notā-  
 dum hic est, ad particulam ἔδειγε subaudiendum, liti-  
 giosum erit, quemadmodum recte interpretatur Ale-  
 xander: id ipsum intelligitur ex verbis Aristotelis post  
 paucas lineas consequentibus: vbi ait: οἶον ὁ τετραγωνισ-  
 μὸς, ὁ μὲν ἀπὸ τῶν μηνίσκων, ὁ δὲ ἐριστικὸς, ὁ δὲ Βρύσωνος ἐριστικὸς. Li-  
 cet igitur ambo artifices, Bryso & Hippocrates Chius,  
 circulum quadrare voluerint ex principiis geometri-  
 cis, eorum tamen rationes inter se multum discrepa-  
 runt: nam Brysonis quadratura fuit contentiosa, quia  
 geometricis admiscuit communia principia: Hippo-  
 cratis autem non fuit litigiosa, quia propria quidem  
 geometriæ principia, sed male intellecta adhibuit. Post  
 hæc dicta videndum erit, an possimus indicare trium  
 horum artificum modos, quos in quadrando circulo  
 excogitarunt: sane Aristoteles hoc speciatim non ex-  
 posuit, quia hi modi fere omnibus satis erāt perspecti:  
 hoc tantum inculcauit, has inuentiones mere sophi-  
 sticas fuisse, quod non assequerentur summam præci-  
 sionem, quæ in geometricis demōstrationibus requi-  
 ritur. Quare si de modis harum inuentionum aliquid  
 scire cupiamus, consulendi nobis sunt interpretes. In-